

I. N. 9.
DISSERTATIO GRADUALIS
De
NOBIS
IN
D E O
EXISTENTIBUS,
ACTOR. XVII: 28.

QUAM
Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,
 PRÆSIDE
LAURENTIO O.
LEFREN,
 L. L. O. O. & Græc. Profess. Reg. & Ord.
Publicæ Bonorum censuræ modeste subjicit
ADAMUS SALVENIUS,
 Tavastensis,
 In AUDITORIO MAJORI, Die **VIII Junii**
 An. MDCCCLXXIV.
 Horis. A. M. Confvetis.

A B O Æ,
 Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.



PRÆFATIO.

Quid adjumenti Regina Scientiarum Theologia ab Ancilla sua Philosophia exspectare possit, constare docet ex disputatione Pauli adversus Stoicos & Epicureos, quæ ACT. XVII describitur.

Quid adjumenti Regina Scientiarum Theologia ab Ancilla sua Philosophia, reliquisque humanis litteris exspectare possit, semper quæsitum, nunquam decisum fuit penitus. Hoc per singula eundo Secula, ex quo res Christiana cœpit, multis & variis ostendere possemus documentis, nisi brevitatem nobis injungeret festinatio, Quid hoc de Problemate suo jam ævo senferit TERTULLIANUS, haud obscure prodit proverbium, quo Philosophos Hæreticorum Patriarchas dictitare solebat. (a)

Huic

(a) In hoc effatum, quod adversus Hermogenem Cap. VIII. & de anima Cap. III. legitur, doctissima Dissertatione commentatus est, Doct. ADAMUS RECHEN-

Huic contraria erat sententia CLEMENTIS ALEXANDRINI, qua, ut Hebreos lege, sic Græcos Philosophia ad Christum tanquam pædagogo deduci, statuerat (b). Inter utrumque horum se medium gerebat GREGORIUS, Nyssenus, qui, Philosophiam aliis nocuisse, aliis profuisse, scisciebat. (c) Deinde ad nostra usque tempora in utramque partem continue disputatum fuit & abhuc sub Judice lis est. Nostra certe memoria has pugnas strenue pugnarunt plurimi, & in his novissime nobilissimus Scriptor Henriados & celeberrimus certaminis Divoniensis victor, quorum ille ex quatuor distinctis intervallis, quibus Litteræ ac Scientiæ lètissime floruerunt, toridem quasi aurea secula fecit, (d) quæ tamen alius facili negotio in

A 2

ferrea

BERGIUS, qui magno exemplorum numero, vere a TERTULLIANO sic adpellatos fuisse Philosophos, ostendit. Edita est Lipsiæ 1705.

(b) Verba sic habent: ἐπαδαγώγει καὶ φιλοσόφει τὸ Εὐαγγεῖον, ὡς ὁ νόμος ταῖς ἔθραις εἰς Κερσόν. Ipsa etiam Philosophia Græcos, ut lex Hebreos ad Christum tanquam pædagogus ducebat. Stromat Lib. I. pag. 280.

(c) In vita GREGORII Taurinaturgi sic de hoc Patre scribit: Τὴν δὲ φιλοσοφίαν δὲ ἐπιειλέτης καθουλήσας δὲ ὦν ἐλληνοῦσας τοῖς αὖτοις βεβαιώτας, διά τέτον ωδηγῆσθε τὰς χριστιανεῖς πατερίτην. Cum externam Philosophiam magna cura sibi familiarem reddidisset, quibus rebus plerique in erroribus Græcorum confirmari solent, iis illus ad cognitionem religionis Christianæ est deductus. Operum GREGORII Nyssenii Tom. III. p. 539.

(d) Hoc nomine facile adgnolcitur non minori in-

ferrea mutavit, (e) hic (f) vero omnes ingenii opes, quas possidet locupletissimas, paradoxo insumisit responso, quo id pro virili egit, ut, Litteris deletis & Scientiis expunctis, barbara revocaremus tempora, quibus *Græce nosse suspectum, Hebraice prope hereticum erat.* Quid vero de tota hac controversia sentiendum sit, vix aliunde rectius, quam ex *Sacra Pagina* disci potest. Hæc enim ut inanem eruditio[n]is speciem nomine cognitionis indignam pronunciat, ita solidam scientiam subinde debit[er] ornat encomijs. Quid? quod hanc posteriorem non solum disertis verbis extollere, sed etiam, quod efficacius est, merita ipsius luculentis rerum testimoniis commendare passim soleat. Si illustre aliquod exemplum adferri optas, evolvere poteris ACTOR. APOST. Caput XVII. & specimen tibi leetissimum dabit doctissima simulque gravissima PAULI disputatio *κατ' ανθρώπου* adversus Philosophos Stoicos & Epicureos, quā hos suis ipsorum telis confoslos superavit. Cæcus sit oportet, qui non videat, quantum auxili

genii bonitate, quam animi levitate famigeratissimus DE VOLTAIRE.

(e) Hoc egregie præstítit celeberrimus Genevensium Pastor ANT. JAC. ROUSTAN in *Offrande aux autels & à la Patrie*, & nominatim in ea operis parte, quæ in Svecanam linguam conversa, sub titulo: *Historisk Granskning öfver de af Herr VOLTAIRE föregifna Fyra Lyck-saliga Tider*. Upsaliæ anno 1769 prodiit.

(f) J. J. ROUSSEAU, *civis Genevensis*, quo utrum exquisita eloquentia, an paradoxis sententiis alius celebrior unquam extiterit merito dubitatur.

auxiliū ad hanc victoriam reportandam Apostolo tulērīt eruditio, quam sibi in Schola GAMALIELIS comparaverat uberrimām, non minus Gr̄ecorum profanis, quam Hebr̄aeorum Sacris Voluminibus diligenter evolutis atque excussis. Nobis igitur, cum pro laurea disputandum esset, non aliud dignius visum est argumentum, quam quod hæc lauro & cedro dignissima præbet disputatio. Quoniam vero maxima urgēmūr festinatione, satis habere cogimur, si, præteritis cæteris, quæ ab aliis sufficienter evoluta sunt, operam nostram uni tantum voci, quam illi fere intactam reliquerunt, impendamus, verbo nimirūm ~~στοιχείων~~, quippe in quo, nīl valde nos fallit opinio, plus latet emphaseos, quam ullus interpretum, quos nobis quidem videre contigit, qua decūsset cura, exposuit. Hujus verbi pleniorē notionē dum evolvere conamur, Te LECTOR BENIVOLE, quo docet studio & officio rogamus, ut innocuum conatum meliorem in partem interpreteris.

§. I.

Quibus ex rebus ansa nobis data sit suspicandi, verbo ~~στοιχείων~~ hoc quidem loco plus inesse emphaseos, quam iis persuasum fuit interpretibus, qui in sola ē nuda existendi notionē adquieverunt.

Multas & varias esse circumstantias, ad quas diligentibus Scripturæ interpretibus subinde respicendum sit, si, quid in quoque oraculo lateat emphaseos, feliciter indagare velint, res ipsa loquitur.

In his locum omnino tuetur adtentā & cordata (a) consideratio ordinis, quo tum integræ formulæ, tum singula verba se invicem excipiunt. Quamvis vero non facile occurrat casus, in quo ratio ordinis negligi possit, nunquam tamen diligentius ad hanc circumstantiam respiciendum, quam cum breves & graves occurrent sententiæ, quæ quot verba; tot pondera habere solent. Neque enim raro accidere potest verbis, ut pro alio atque alio, quo disponuntur ordine, alios atque alios nanciscantur significatus, qui toto sæpe cælo sunt diversi. Hinc idem fere ex ordine verborum lucrantur sententiæ, quod ex varia structura machinæ. Quum vero nullus ordo esse possit sine ratione eum determinante, ad hanc sedulo attendendum esse, constat. Latet vero hæc ratio in rebus ipsis, ex earumque visceribus studio & judicio eruenda est. Cumque adeo inter indolem rerum & ordinem verborum nexus quidum perpetuus regnet, non mirum, si nunc indoles rerum ex ordine verborum, nunc ordo verborum ex iudole rerum

(a) Hoc epitheton eo magis necessarium fuit adponere, quod non desunt ingenia modum servare nescia, quibus subinde accidit, ut ex ordine verborum varia venentur mysteria, quæ verborum auctoribus nunquam in mentem venerunt. Hoc vitio maxime laborare solent juniores, quorum nondum maturuit judicium. Mirum igitur non est, quod B. Doct. RAMBACHIUS hoc interpretandi adminiculum virile vocat, quandoquidem ante omnia maturum & subactum postulat judicium. Vide J. J. RAMBACHII *Instit. Hermeneut. Sac. Lib. II. Cap. VI. §. XIV.*

rum cognosci & intelligi possit. Quo autem quisque
 Scriptor ingenio, judicio & studio ceteris est supe-
 rior, eo ordinis quoque naturalis solet esse obser-
 vantior. Quis igitur non sentit, quam exacta or-
 dinis ratio ubique locorum regnare debeat in iis
 Scriptis, quæ SPIRITUM SANCTUM adgnoscunt
 auctorem. Nunquam igitur in his interpretandis
 rectius versaberis, quam cum utroque ueris oculo,
 altero rebus, altero verbis intento. Adtenta enim
 consideratione rerum, tanquam virgula quadam di-
 vinatoria, sæpe veriores vocum notiones detegere
 possumus. Hoc nobis accidisse existimamus circa
 verbum *ἰησοῦς* in formula: *ἰησοῦς γὰρ οὐκ εἶπεν, καὶ οὐκ εἶπεν τί εἶπεν* ACT. XVII: 28. Vix enim hanc
 formulam paulo attentius perlegeramus, cum nobis
 animadvertere videremur, huic verbo, *vi ordinis*,
 quo verbis *ζωεῖς καὶ θεοῖς* postpositum est, multo
 efficaciorem competere significationem, quam ii sit i
 persuaderunt, qui nihil in eo præter puram putam
 existendi notionem quæsiverunt. Si nihil amplius
 dicere voluisset Apostolus, quam nos in DEO vel
 per DEUM existere, verbum nostrum potius primo,
 quam ultimo posuisset loco. Sic enim ordinem na-
 turalem observasset, cum nemo homo dubitare pos-
 sit, quin prius sit *esse*, posterius *operari & pati*. Quid
 igitur faceremus? Aut enim verbo *ἰησοῦς* tribuenda
 erat significatio, quæ cum loco, quem inter cætera
 tenet, amice conspiraret, aut Apostolo vitium ser-
 monis tribuendum, quod ne in rudioribus quidem
 tironibus eloquentiæ ferimus. (b) Non hoc vero,
 sed

(b) Inter prima præcepta, quæ futuris dicendi Ma-

sed illud adsumendum esse, res ipsa docet. Paulus tam Græcorum, quam Hebræorum in litteris versatissimus erat. Ipsi igitur tantam vel *ignorantiam*, vel *oscitantiam* impingere maxima fuisset *injuria*, eoque major, quod omnibus in partibus disputationis, ex qua hoc verbum est desumptum, non minus maius & *prudentia*, quam solidæ doctrinæ adeo excellentia resurgent specimina, ut nihil unquam viderimus excellentius. Huc accedit, quod non tam *Apostolus*, quam *Spiritus sanctus*, qui singula loquenti verba inspirabat, vitii postulandus esset, quod vel mente concipere impium foret. His igitur rite expensis, verba Græca, quæ nunc adducta sunt, sic Svethe redi debere judicamus: *Tu uti Honom lefwoom wi, röroms och hafwom waraktighet.* Hæc interpretatio non modo naturalem servat ordinem rotionum, sed ipso quoque contextu confirmatur, quantum Apostolus supra, commatibus 24 & 26, distinctam fecerat mentionem *creationis* tam generalis totius mundi, quam specialis generis humani, & hac formula citra controversiam de beneficio *sustentationis* ac *conservationis* agit. Ut igitur pro vera & bona

gistris inculcare solent Rethores, merito hoc referimus, quo nullum verbum] alio loco ponere jubentur, quam qui rationi ordinis naturalis conveniat. Atque hæc regula eo plus habet auctoritatis, quod non ex vapido criticorum cerebello exsculpta, sed ex optimorum Scriptorum optimis exemplis desumpta est, & non minus a Sacris quam profanis auctoribus toties observatur, quoties aliquid interest, quo ordine verba ponantur. Confer sis GERH. JOH. WOSSII *Instit. Orat. Lib. IV. p. 54.*

na adgnosci possit nostra interpretatio, nihil restare videtur, quam ut idoneis argumentis ostendamus, verbum *εἶπεν* hanc emphaticam significationem revera admittere. Atque hoc illud est, quod nunc præstare adgrediemur.

S. II.

*Utrum Paulus verba: εἰ ἀντὼ γὰρ ζῶειν, καὶ κηρύξειται,
καὶ εστιν, suopte ex fonte hauserit, an vero alienis
ex rivulis derivaverit, paucis disquirit.*

Prius vero, quam hanc telam ordiri commode queamus, necesse fuerit paucis disquirere, quid tendum sit de origine verborum Apostoli: *εἰ αντὼ γὰρ ζῶειν, καὶ κηρύξει τὸ κείμενον.* Quæri enim potest utrum ea suopte ex fonte hauserit, an vero alienis ex rivulis derivata in suum duntaxat usum prudenter converterit. Neque omnino perinde est quomodo docunque ad hanc quæstionem respondeatur, cum alius sit nervus argumentorum, quæ pro emphatica significatione verbi *κείμενον* pugnant, si ipse Apostolus, quam si alius quispiam primus formulæ hujus auctor statuatur. Cum alii hoc, alii illud adfirment, & utraque hypothesis veri speciem præ se ferat, nos rem optime expediri judicamus, si commoda distinctione adhibita, ad quæstionem respondeamus. Si igitur de ipsa materia formulæ Paulinæ sermo fuerit, non dubitamus, quin ad varia respiciat effata veterum, quorum scripta Apostolus diligenter evolverit. Ratio hæc est, quod loca huic parallelæ pas-

sunt in monumentis veterum Scriptorum (a) occur-
ront, quodque a prudentia Pauli alienum non erat
Stoicos & Epicureos, quibuscum disputabat, suis i-
psorum telis retundere. Quod si vero quis nobis
persuadere velit, hanc formulam totidem litteris ac
syllabis eodemque verborum ordine ab Apostolo a-
liunde adsumtam esse, næ is fortiora argumenta ad-
ferre debet, quam quæ hactenus adulterunt, qui
hanc defendunt sententiam. Putat quidem celeber-
ritus HENR. HAMMONDUS Paulum hic respexisse
ad hos veteres jambos:

τῷν δὲ τοῖς παλαιοῖς, καὶ μετέπειτα,
καὶ εἰσεῖτε &c.

Sed cum nuda solummodo verba adducat, nul-
la mentione facta nominis Auctoris nedum loci aut
ævi, quo floruerit hypothesin viri docti eo minus
adsumere possumus, quo verisimilius est, ipsos hos
jambos ex verbis Paulinis efformatos fuisse. Provo-
cat quidem ad verba Pauli, quæ proxime præcedunt: *αἱ τοιαὶ ταῦτα καὶ τοιαὶ ἄλλα ταῦτα εἰσῆνται*. verum hoc argumen-
tum, nostro quidem judicio, debilius est, quam ut
rem conficiat. Præterquam enim quod exemplum
citationis, quæ & antrorsum & retrorsum spectet,
non

(a) Nisi angustia paginæ prohiberet, integrum fere
centuriam effatorum Paulinis similium ex ORPHEO,
ARATO, ÆSCHYLO, EUPHORIONE, ARISTOPHANE,
XENOPHANE COLOPHONIO, aliisque producere pos-
semus. Cui ea videre voluēt fuerit, is evolvere poten-
tit commentarios in hunc locum, & nominatim J. C.
VOLFII, & quos ille citat,

non facile adferri potest, verisimillimum est, Pau-
lum voce ~~mea~~ respexisse ad plures Poëtas, qui id
quod sequitur τὸν γένος καὶ γένος εἰσεῖν usurparunt, præ-
fertim ex quo idem effatum iisdem fere litteris &
syllabis & apud ARATUM & apud CLEANTHEN
inveniri demonstratum est. (b)

§. III.

Usui verbi ~~etiam~~ *conformem esse notionem existentiae*
continuatae, ex variis probat indiciis, quae Sacrae
Litterae exhibent.

His præmissis ad ipsum pergimus institutum,
quod eo spectat, ut *usui verbi* ~~etiam~~ non repugnare
ostendamus *notionem efficaciorum EXISTENTIÆ*
CONTINUATÆ, quam ipsi hoc loco tribuimus.
Omnia igitur primum *Sacras Litteras* consulere
placet, ut quænam illæ testimonia exhibere posint,
cognoscamus. Hæ duas continent classes locorum,
quæ nostro scopo inserviunt. Altera eorum est,
in quibus hoc verbum de divina Christi natura o-
mnis tum mutationis, tum defectionis experte præ-
dicatur, altera eorum, quæ certa continent indicia,
ex quibus permanendi & perseverandi significatio
huic verbo quandoque subesse intelligitur. Prioris
generis est locus Joh. 1:1. Εἶπεν δὲ ὁ λόγος, ubi
verbum ~~τὸν~~ de λόγῳ usurpatum e diametro opponitur

B 2

verbo

(b) ARATI verba inveniuntur apud CLEMENTEM
Alexandrinam V. Stromat, unde JOH. QUISTORPIUS
ea descripsit in Annot. ad h. l. CLEANTHIS vero a-
pud BRUCKERUM in h. l.

verbo γέγονται, quod commate sequente de creaturis
 prædicatur. Quemadmodum enim hoc contingentem
 & mutabilem designat existentiam, ita illud necessari-
 um & sempiternum existendi modum insinuat. Quod si
 cui justo obscurius visum fuerit, is idem clarius
 discere poterit ex Joh. Cap. VIII: 58. ubi verba: τοῦτο
 ἀβεβαῖται γέγονται, ἔγω εἰμι, quæ eandem continent op-
 positionem inter *mutable* & *immutabile*, *temporarium* &
eternum, ob eamque caussam nostræ sententiae ad-
 hue clarius patrocinantur. Nunc ad ea pergimus
 dicta Scripturæ, in quibus, uti diximus, verbum οὐ-
 ναι vim degendi, versandi, commorandi & permanendi
 habet. Hujus generis cum magnus sit numerus,
 pauca adduxisse sufficiat. Sic ἦσθι ἐκεῖ Matth. II: 13.
 non significat simpliciter esto ibi, sed permane ibi,
 cui v. 15. respondet καὶ ἦσθι ἐκεῖ, quod reddendum:
ibique permanisti. Similia exempla videre est Marc.
 II: 13. & Luc. I: 80. Ejusdem etiam generis est
 effatum Salvatoris: ποσὶν χερσὶν μεθ' ὑμῶν εἰμι, Joh.
 XIV: 9. tanto temporis spatio apud vos permaneo,
 persevero. εἰ τέτοις ἦσθι I Tim. IV: 15. his immorare,
 subauditur περίγυματι, negotiis. Idem v. 16 dicitur
 εἴπεις αὐτοῖς, manifesto arguento, veram esse no-
 tionem, quam expressimus. Huc etiam pertinet re-
 sponsum Salvatoris: εἰς ἵδατι, δὲ σὺ τοῖς ταῖς πατέρες μη
 δεῖ εἶναι με Luc. II: 49. Nonne novisletis, oportere
 me iis (sive locis sive negotiis) quæ sunt Patris mei,
 immorari? Hic locum habere significationem com-
 morandi aut immorandi, prout ad pronomen τοῖς
 aut πατέρες aut περίγυματι subauditur, res est certissima.
 Parentibus domum properantibus, longius sibi tem-
 pus

pus Hierosolymis commorandi sumserat JESUS, totumque illud tempus in Synagogis versatus fuerat, institutionibus & disputationibus doctorum assiduam impendens operam. Hoc cum illi exprobaret Mater, debitam fuisse moram respondit. Unum adhuc locum addam Joh. XVII: 11. ἐπὶ τῷ οὐρανῷ εἰμι καὶ τὸ οὐρανόν εἰμι ἐγώ. Εγώ οὐ παραμένω ποτέ στοιχείον. Εγώ οὐ παραμένω ποτέ στοιχείον. Εγώ οὐ παραμένω ποτέ στοιχείον. Ego non permaneo ulterius in mundo, sed hi permanent in mundo. Atque ex his paucis constare arbitramur, usum verbi non repugnare notioni, quam nos rei evidentia ducti ad- optavimus. Et si quid forte adhuc supersit dubii, id facile discutietur, ubi adjecti fuerint usus verbi *Parisiticus* & *Philosophicus*, ad quos nunc transitum faciemus.

§. IV.

Eandem notionem ex usu verbi, qui in Scriptis Patrum invaluit, ulterius confirmat.

Ratio igitur ordinis nunc postulat, ut *Scrinia serutemur Patrum*, quid ex iis ad sententiam nostram, muniendam adjumenti eruere possimus, visu. ri. Hoc genus subsidii latissime patet, tantoque se robore jactat, ut si illud paulo fortius urgere villemus, periculum esse videretur, ne potius *nimirum* quam *parum* demonstraret. Sed verum fatebimur. Vanus iste metus est. Plerique enim testimonia Patrum, cum ad hanc referuntur caussam, specie quam pondere præstantiora invenimus. Hoc certe de iis vere prædicari potest, quæ vim probandi, qua eminere videntur, non tam *Græcis*, quam *Hebreis* ex

fontibus hauserunt. Intera nonnulla feligemus, quæ cæteris solidiora invenimus. Ad locum Joh. VII: 58 quem §. præcedenti adduximus, sic commentatur CYRILLUS Alexandrinus. Οὐαῖς ὁφέλεια καὶ καλῶς ἐπὶ μὲν τῷ Αβραὰμ τὸ ψεύσθαι πῆδον, εἰφ' ἐκτῆ δὲ τὸ εἶπε, δεινὺς, ὅπ τῷ μὲν εἴξει ὄντων ψευμένω πάντας ἔποιο, καὶ τὸ Φείρεσθαι δεῖν; τῷ δὲ αἷς ὄντι τὸ περὶ τὸ μη εἶναι χωρεῖν. οὐδὲ ἀντιβάνη ποτέ. Μείζων δέρει καὶ κείττων τῷ Αβραὰμ. Μείζων μὲν ὡς αἰδεῖσθαι, κείττων δὲ ὅτι δὲ Φείρεσθαι, καὶ διπερ
ἐκεῖνοι. Proprie autem admodum εἰ recte de Abram
mo usurpat illud fieri, de se ipso vero SUM, docens
omni, quod ad generationem productum est, omnino
competere, ut intereat, ei vero qui semper sit, nusquam
accidere posse, ut ad non esse procedat. Major itaque
εἰ præstantior est Abrammo. Major quidem ut æter-
nus, præstantior vero, quia non est interiui, ut ille,
obnoxius. Notionem verbi εἶas hic Pater ponit in
perpetua existentia, quæ interiui non sit obnoxia, at-
que hanc propriam esse adfirmat. Hoc eum non
ex Hebraismo sed ex Græcismo didicisse, arguunt ter-
mini technici ὄντων & εἴσεστων, quos §. seq propius
intuebimur pleniusque evolvemus. Pari modo eun-
dem locum illustrat THEOPHYLACTUS his ver-
bis: Vide, non dicit, antequam Abram fieret, ego
ERAM, sed SUM. Istud enim verbum SUM DEO pro-
prie convenit, eo quod PERPETUUS est εἰ SEMPITER-
NUS, id quod hoc verbum significat. Et paulo infe-
rius dicit: τὸ δὲ εἶπε πάντες Φερεῖσθαι καὶ αἰδούστε
Θεῶν ἴμφατε. Verbum autem SUM, divinam, εἰ ab o-
mni corruptione alienam sempiternitatem designat. Ex
his videre licet, ex mente Patrum εἶας proprie mo-
dum

dum existendi divinum dicere, quatenus is æterna, eaque immutabili ac incorruptibili gaudet subsistētia. Quando igitur hoc verbum de hominibus usurpatum, analogice intelligendum est de existentia in suo genere perpetua. Possemus plura Patrum testimonia in robur hujus sententiae adferre, nisi hæc fini sufficere viderentur. Interea AUGUSTINUM, EUTHYMIUM ZIGABENUM, IRENÆUM & ATHANASIUM idem sensisse, cognovimus. Confr. FR. AD. LAMPE in *Johannem* Tom. II. p. 515. seqq.

§. V.

Quem usum idem verbum apud Philosophos habuerit, exponit & ad præsentem questionem adcommodat.

Quod hactenus partim Scripturariis, partim *Patristicis* evincere conati sumus speciminibus, id ultrius ex usu verbi *τίναι*, qui in *Scholis* obtinuit *Philosophicis*, confirmare studebimus. Primum quidem hoc observantis, idem *Philosophicis*, quod *Patristicis* in monumentis obtinuisse disserim inter verba *τίνας* & *γίνεσθαις*. Opportone hic occurrit memorabilis locus PLATONIS in *Protagora*. (a) τάῦτα οὐδὲ σύντο τὸ γίνεσθαι ναὶ τὸ ἔναις ἡ ἀλλος; ἀλλος, εἰ δι', εφη ὁ πρέδιμος. Num putas, quod idem sit *FIERI* ac *ESSE*, nec ne? PRODICUS respondebat, per Jovem, aliud quid. In quo vero hoc disserimen posuerint, paulo distinctius exposui-

(a) Hoc fide referimus Celeb. LAMPE L. c. Tom. I. pag. 294, ubi se ex COCCEJO hoc didicisse fatetur.

posuisse juvabit. Quum antiqui *Philosophi* hanc adspectabilem rerum universitatem contemplarentur, idem, quod nos omnes, observabant, nihil fixum esse, nihil firmum, sed perpetuo mutari, variari & alterari omnia, alia oriri, alia occidere, alia nasci, alia perire, quæque paulo diutius durare videantur, ea tamen singulis momentis novas induere formas, nec quidquam sensibus occurrere, quod non isto vivissitudinum Euripo citius serius abripiatur. Matre igitur in Scholis Philosophorum moveri coepit quæstio, *essetne aliquid stabile ac perenne*, quod, ceteris omnibus mutatis, *idem semper sibiique simile maneret?* Quæ prioris erant generis γένεσις, quæ posterioris οὐσία dicebantur. Quod igitur ex hoc posteriori verbo formabatur participium ὁ, id rem signabat, quæ stabilis & perennis esset naturæ, ac mutari & variari nesciæ. Oppositum γάρ ὁ l. μὴ ὁ, non id denotabat, quod nos nihil vocamus, sed rem naturæ cūdīcē & continuis mutationibus obnoxia. Hinc non mirum, quod DEUM proprie ὁ l. ὁ appellabant, ut ex Patribus modo audivimus. Hujus rei illustre argumentum est illud εἰ, es, quod templo Delphorum inscriptum erat. Hoc enim DEUM signari, passim docent Philosophi, (b) idque nomen graviter vocat AMMONIUS (c) αἴλοντι ναὶ αἴψευδη ναὶ μόνῳ.

(b) Videatur DICKINSONIUS *Delphis Phœnicissantibus Cap. X MAJUS Observat. Sacr. Lib. I. pag. 85. HENSCHENIUS Enthusiasm. Platonic. p. 123. EKHARDUS Technica Sacra Cap. I. §. 9.*

(c) Apud PLUTARCHUM περὶ τῆς εἶναι Δέλφους p. 292. Ed. Erf. citante LAMPIO L; c. Tom. I. p. 294.

pūm πότῳ περοήσαν τῷ τῷ ὅτα περούσαν. Veram
 minimeque falsam & solam Soli (DEO) convenientem
 adpellationem, qua ESSE dicitur. Non tamen teme-
 re existimandum est, solum DEUM veteribus dictum
 fuisse ē. Habebant enim & alia ὄντα, quæ jam
 verbo tetigisse juvabit. Sic verum Scientiæ obje-
 ctum ὄντα vocabant. Sapientiam enim definiverunt
 ἀνθρώπους ἀνθράκην τοῖς ἄλλοις, quod non exponi debet scien-
 tia veritatis, quæ in ipsis rebus lateat, sed Scientia
 circa eas res occupata, quæ sunt aeternæ nullique muta-
 tionis aut variati ni obnoxiae. Habebant vero duo ge-
 nera ὄντων, quorum alterum vocabant ἔργως ē & κυ-
 ορεῖς ē, vere & proprie tale, alterum ὄμοιώμας ē, a-
 quivoce tale, in quantum videlicet participaret de
 natura eorum, quæ ὄντως ὄντα dictabant. Priori
 modo DEUS est, posteriori nos sumus. Ut vero in-
 telligamus distinctius, quænam illis νοέσις, quænam
 ὄμοιώμας dici tolerent ὄντα, NICOMACHUM & JAM-
 BLICUM audire volumus de his rebus differentes.
 Ille sic scribit: (d) Ea quæ sunt, definiebat illa, quæ
 secundum idem, ac eodem semper modo sunt perfecta &
 nunquam ne minimo quidem temporis momento immu-
 tantur. Hec vero esse expertio materiæ, ac quorum
 per participationem cetera, quæ aequivoce dicuntur
 esse, sunt ac dicuntur. Corpora namque ac materialia
 in perpetuo fluxu ac mutatione esse, per omnia imitan-
 tia naturam & proprietatem materiæ ac substantiæ a-
 eternæ. Hic vero, Quæ sunt, ajebat, ea esse, quæ
 C fine

(d) Textam originalem adposueramus, sed propter in-
 opiam typorum Græcorum eum coacti suimus expungere.

fine materia forent ac æterna, & per se agentia, cu-
jusmodi sint omnia incorporeæ. A quivoce vero reliqua
esse, secundum participationem eorum, quæ revera sic
dicuntur.

Plura qui desiderat, evolvere poterit aureum li-
bellum JOH. SCHEFFERI Argentoratenis de natura
& constitutione Philosophiæ Italicae pag. 56 seqq.
& JOH. LAURENT. MOHEMII Dissert. de Crea-
tione Mundi ex nihilo totam.

§. VI.

*Adiecta brevi explicatione totius formalæ, opellæ finem
imponit.*

Nunc igitur nihil aliud superest, quam ut totius
formulæ Paulinæ verum exponamus sensum. Is vero
huc redit: DEI beneficio in solidum debemus vitam
motum & perseverantiam in existendo. Præpositio e-
nim ē, quæ hic occurrit, neque locum, neque statum
innuit, nedum totum, in quo singuli tanquam minimæ
particulæ contineremur, ad eum modum, quo particulæ
aqueæ in tota massa aquæa fluitant, ut absurdè somniant
Pantheistæ, sed verum & vivum causæ efficientis
influxum. Hoc res ipsa docet, & ne exempla desint, ex
quibus hic hujus voculæ significatus cognosci queat,
Leætores rogamus, ut, præter alia, hæc loca Scripturæ
evolvant & expendant. Luc. VI: 1. Rom. VIII: 15.
Matth. IX: 34. XII: 24, 27, 28. I. Cor. VI: 2. Heb. I: 2.
atque ita finem huic opellæ imponimus, devoto animo
adgnoscentes gratiam ejus, ἐν τῷ ζῶμεν, καὶ πιστό.

μηδὲ μὴ εἰπεῖν.

